



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius
Marius Victor, Claudius**

Lvgdvni, 1536

Capvt XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12149

Mutua ab Aegypto plebes hebræa requirit
 Confestim reddenda sibi; mox commodat illis,
 Ditat & ignorās trepidam manus æmula plebē,
 Quænam digna tuis pandantur laudibus ora
 Summe pater, qui tam sæuo sic vteris hoste,
 Cōmodet vt preciosa suis quæq; hostibus? Et iã
 Annuat aduersus, largitur munera nolens,
 Quæ secum dimissa ferant, nec soluere tantum
 Sufficit oppressos; opibus ditantur euntes,
 Thesaurusq; nouos libertas reddita sumit.
 Atq; inter medios inimica in sede furores,
 Prædatur dominum fugiens, fallitq; videntem,
 Præsentem spolians; nec tam discedere pulsos
 Quàm lætos migrasse putes; tolluntur auari
 Sic Pharaonis opes; quem tunc mercede soluta
 Seruitij longum credas taxasse laborem.
 Sic studijs aliquando hominũ in contraria versis
 Auctorem redeunt cōmenta pericula in ipsum.
 Tunc frustra innocuo meditados vulnera fratri,
 Inuida plus lædit frustrato vulnere bilis.

*pellecilem
 omnem.
 Exodi. 12.*

*Apostrophe
 ad Deum.*

CAPVT XV.

EGressi interea trepido de rege ministri
 Cōpellunt celerare fugam, coguntq; volētes,
 h 3 Præcipitant

Exodi. 14.

Præcipitant alacres, & festinantibus instant,
 Pellendasque putant pulsa cum gente ruinas.
 Iam prope centenum cõpleuerat aduena lustrũ
 In regnis Aegyp̃te tuis iudæus apella,
 Quattuor atque decem lustris tãtum inde remotis,
 Ex quo illuc Iacob secum perduxerat omnem
 Bissena cum prole domum, carosque nepotes
 Multa propagatos tandem per milia, donec
 Aegyp̃ti inuidiam populus conflauerit auctus.
 Quando induratum plebes iudaica regem
 Effugiens, factis Aegyptum classibus exit.

*Egressus He
 bræorum.*

Primo conspicuus fulgebat in ordine ductor
 Legifer, adiuncto præcedens agmina fratre:
 Post quos belligeræ disponunt arma cohortes
 Ducunt & validas in structo robore turmas.
 Arma ferunt humeris, enses & balthea læuo
 Accingunt lateri, presso tum vertice callis
 Fulget, & albenti certat lux ferrea lunæ.
 Nituntur iaculis alij clypeosque sinistris
 Voluunt, & rapido meditantur bella rotatu.
 Gaudet pars etiam pharetris, volucresque sagittas
 Hostis in occursum mittendis motibus aptat:
 Aut si forte virum fugientia terga sequatur.

Vt

Vt pennata leues transmittant spicula ventos.

CAPVT XVI.

INcedit pauidū postrema per agmina vulgus
 Nō impar numero, queis cœlū pingitur astris,
 Aut queis feruescit pelagus crispantibus vndis,
 Vel quibus exundat coopertum littus arenis;
 Et quot destillant humentia nubila guttis.
 Mirantur Pharij numerū; nec credere possunt
 Quod cernunt oculis; placet eiecisse tot hostes.
 Quanquam non acie Pharao perimetur ab ista,
 Quanlibet innumeris fuerit stipata cateruis.
 Vnus pugnabit cunctis pro milibus auctor.
 Interea lento moderatus tramite gressum
 Hebræus carpebat iter; procedere tantum
 Permissus spacij, quantū vel tarda senectus
 Vel rudibus reptans infantia sustinet annis.
 Ne nimium fragiles inter delasset eundum
 Aetatem sexumq; labor: Sic cuncta supernus
 Dispensat nutus, plebicq; assistit eunti

CAPVT XVII.

ERgo vbi signatis sederunt milia castris,
 Armatusq; pedes vulgus vallauit inermes;
 Vespere tum primo stanti ad simulata columnæ
 h 4 Insistens